



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Famam proximi qualitercunque denigrans mortaliter peccat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

de virtute maiore, aut persona maior deridetur: ut quum deridetur iusti simplicitas, aut persona in exemplum Ecclesie posita, &c. Quod si in Deum & sanctos fiat, & non est simplex irritio, sed blasphemia, ut patet ex supradictis.

Desperatio est obiectum fidei: & per consequens damnabilis.

Desperatio, qua quis desperat, seu non sperat consequi futuram beatitudinem, peccatum mortale est: quia est omissio actus necessari ad salutem eternam, impossibile est enim sine spe operari ad tam excelsum præmium consequendum, sicut sine fide.

Famam proximi qualitercunque denigrans mortaliter peccat.

Detractio qua quis famam absentis denigrat, peccatum mortale est: quia contra magnum, proximi bonum, famam scilicet, tendit formaliter sumpta, hoc est ex intentione lædendi famam: siue fiat dicendo verum, siue falsum, siue asserendo, siue referendo, siue addendo, siue minuendo, siue interpretando, siue tacendo, & quouis alio modo. Si vero non formaliter quis detrahat (hoc est non ex intentione lædendi famam proximi, sed ex loquacitate, aut, &c.) non est peccatum mortale: quia non nisi materialiter detrahit: nisi adeò mortaliter inde lædatur fama proximi, ut actus redeat in naturam suæ formæ, dum non curavit cauere à tanta proximi læsione. Similiter peccatū veniale est, si detractio sit formalis, sed in minimo: quia minimum quasi pro nihilo accipitur à ratione. Simile autem est iudicium de auditione detractoris, scilicet: quòd si ex complacètia infamie proximi audit, peccatū est mortale. Et si non malo animo audit, vel peccatum non est: ut si necessitate, aut pietate

pietate audit, vel est peccatum veniale: vt si ex leui-
 tate audit: nisi ipsius auditio famam proximi notabi-
 liter læderet: quod tunc posset contingere, quando
 auditio eius causa esset auditionis aliorum, vnde no-
 tabiliter læderetur fama proximi. In hoc autem & si-
 milibus casibus valde per accidens (quoniam & ipse
 materialiter tantum audit, & materialiter tantum
 causat auditionem aliorum) siste pedem, & noli præ-
 cipitare sententiam, etiã si proximi fama notabiliter
 fuerit læsa: quoniam si ipsius audientis animus purus
 fuit, non apparet huiusmodi negligentia mortalis, cu-
 ius malum si aduertisset, effugasset. Ponitur quoque
 triplex casus, in quo materialiter (hoc est non malo
 animo) audire detractionem, potest per accidens esse
 peccatum mortale. Primus est, si audiens potest &
 debet ex officio vel corrigere detractorem vel obuia-
 re detractioni. Secundus est, si audiens potest & debet
 obuiare, sed ex timore humano omittit. Tertius est,
 si articulus necessitatis alicuius magni mali ex huius-
 modi detractione subsequendi obligat ad obuiandum,
 quicquid sit illud magnum malum siue infamix, siue
 damni in rebus temporalibus, siue vulnerum, &c.
 Tunc enim audiens tenetur obuiare si potest, ex com-
 muni ratione qua quis tenetur pascere fame morien-
 tem, & eos qui actualiter opprimuntur subleuare:
 præcipuè quum solo verbo resistatur detractionis
 gladio. Et in his casibus rectæ rationis iudicio relin-
 quitur determinandum quando, vbi, cui, & quomodo
 resistendum est: quoniã de præcepti affirmatiui exe-
 quutione agitur. Et prælati prudentia opus est in
 primo casu. In secundo verò timor humanus oportet
 quod sit mortalis, si mortale peccatum erit facere. In
 tertio quoque & necessitas pensanda est qualis sit, &
 resistendi facultas, & fructus: & si constat detractio-
 nem esse falsam: ne si vera sit, dum arguitur, in peius

H

emer-

114 Disputatio de fide.

emergat, dum vel non falsa, vel vera comprobabitur. Detrahere sibi ipsi (hoc est infamare seipsum) peccatum est mortale ex suo genere grauius, quam detrahere proximo, quanto magis tenetur diligere famam suam propter Deum & commune bonum, quam proximi. Nec excusatur à peccato mortali propter metum, aut tormenta: quoniam sicut nullus metus nullumque tormentum excusat à vulneratione aut occisione sui, ita nec infamationem sui. Quamuis enim pati detrimentum famæ propriæ, sit in proprio arbitrio constitutum, si in aliorum malum non redundat, sicut pati vulnera & mortem inferre tamē sibi ipsi damnū famæ criminisum est, sicut vulnerare aut occidere se. Et in iudicio propter tormenta hoc fit, duplicatur iniquitas: quia adiungitur mendacium in iudicio perniciosum.

*Disputans de fide tanquam in ea dubitans
& hesitans, mortaliter peccat.*

Disputare de fide, dubitando de veritate fidei, peccatum est mortale: quia dubius in fide infidelis est. Ad confutandos verò errores nisi rationalis causa subsit, vel gratia exercitii, coram simplicibus peccatum est imprudentiæ: quia periculosum est, ne in vacillationem inducantur, ex hoc ipso quod audiunt aliquid appareat contra ea quæ sunt fidei. Et laicis nihilominus peccatum est disputare de fide publicè vel occultè, cap. quicumque. de hæret. lib. vi. Et quia contra faciens excommunicari mādatur, peccatum mortale efficit, si laicus sciens sibi sub tali tantaque censura illicitam redditam disputationem huiusmodi, nihilominus præsumeret de fide disputare.

Discordia diuersimodè sumi potest.

Discordia, qua quis voluntati alterius de bono diuino aut humano cui debet consentire, scienter & ex intentione contrariatur, peccatum est mortale ex